



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Lævem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXXVII. Sodalitates in honorem sanctorum contra pestem Tutelarium erigere, atque iisdem nomina inscribere, Spirituale antidotum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

C A P. LXXVII.

Sodalitates in honorem sanctorum contra pestem Tutelarum erigere, atque iisdem nomina inscribere, spirituale antidotum est.

Non recens est, ut quidam autumant, Sacrarum Sodalitatum institutio; nam à tempore Constantini Magni cum primùm publica Ecclesiæ tranquillitas data est, pia hæc exercitia in usu fuere; licet Polydorus Virgilius ad tempora Apostolorum ea referat, verùm meo iudicio non de ijs agit de quibus nobis propositum est; sed potius de religiosorum hominum sacris congregationibus quas hodie Ordines religiosos vocare consuevimus. Quod verò de Constantini temporibus dixi, id ita confirmat Henricus Spondanus in Epitome Annalium Card. Baronij, dum ait: Sed & illud memoriâ dignum idem Constantinus Imperator statuit & primus author fuit ut ad corpora defunctorum humana, corpus constitueretur ex nongentis quinquaginta diuersorum collegiorum & artium officinis, qui ei muneri mancipati essent, quos & voluit Ecclesiæ subiectos esse & ab omnibus publicis muneribus immunes atque in vectigalibus liberos. quod idem corpus postea Anastasius Imp. confirmavit, centumque alias & quinquaginta officinas apposuit, ut essent omnes numero mille & centum, easdemque certis redditibus dotauit. Porro opus istud pium & religiosum posteris temporibus antiquatum, hoc nostro sæculo Romæ sanctioribus legibus & institutis instauratum est, & in diuersas Catholici Orbis Ecclesias propagatum sub nomine Confraternitatis

ternitatis, Mortis, quæ quidem in Gallia aptiori nomine vulgò nuncupatur, Confraternitas Charitatis, quid enim hoc officio præstantius, ei exhibere beneficium qui tibi iam non possit reddere? ita Spondanus. Thomas Bozius autem appropinquat nimium ad nostra tempora; ait enim: Septimus progressus Ecclesiæ Catholicæ est, plurimarum Sodalitatum, quas vinculum religionis quoddam sponte adstringit, non vlla vota Deo nuncupata. Sanctus enim Bonaventura primus hoc instituit ut è laicis excitarentur Sodalitates qui ad opera pia convenirent, precesque certas quotidie recitarent suosque præfectos haberent perpetuo successionis tenore deligendos. Initium verò Instituti sanctissimi Romæ factum in Sodalitate siue archi-confraternitate Confalonis circiter annum 1270. Huius exemplo innumere in orbe Christiano formate Sodalitates, quarum institutis nullum non opus pium perficiendum comprehenditur. ita Bozius, qui enumerat varia opera misericordix per eosdem Sodales exerceri solita, maxime circa pauperes & orphanos. & subdit postea: Ante S. Bonaventuram S. Dominicus formarat Societatem Rosarij; sed illi nulla lex nisi meditandi & orandi & Eucharistiam certis diebus sumendi. Verum diu ante tempora S. Dominici, imò & ante inventionem Rosarij (cuius author, saltem per globulos, ut hodie legitur, recitandi, dicitur fuisse Petrus Eremita Ambianensis, primus prædicator S. Crucis, ad recuperandam Ierusalymam sub Duce Godefrido Bullonio) Sodalitates in honorem Sanctorum fuisse institutas, patet ex ijs quæ supra diximus de Sodalitate Ardentium Atrebatæ erecta in honorem Divæ Virginis, itemque Bethuniæ in honorem eiusdem Deiparæ ob miraculosos illos cereos de quibus supra quæ Sodalitates erectæ sunt anno Domini 1105. & anno 1188.

Bozius
de sign.
Ecc. li. 9.
cap. 5.

Imò

Imò narrat Ioannes Mellus Episcop. Ebor. & ex eo Antonius Vasconcellius in Histor. Portugallia, anno 599. Vlyssiponæ sacram Sodalitatem erectam esse in honorem S. Sebastiani martyris, magni contra pestem Tutelaris, cuius miraculosa ope ab eadem crudeliter sæuente Vlyssiponenses fuerant liberati. Cùm enim Sacerdos quispiam in Sacello S. Rochi diuinum Missæ Sacrificium Deo offerret, oculosque in imaginem S. Sebastiani ibidem sibi oppositam intenderet, vidit eandem copioso sudore persusam, stillantibus continuo in terram guttis. quo prodigio obstupescens, imaginem foras producit toto populo inspectante, confluentibus tam peste infectis ad nouæ rei spectaculum, quàm etiam sanis; quâ commixtione non obstante nullus præsentium contagione correptus fuit. Sacerdos continuo imaginem linteis abstergebat, quæ dum infirmi pestiferis partibus apponerent, confestim sanabantur, in tantum vt ab illa hora nemo deinceps obierit. quin & ipsæ campanæ nemine pulsante, sed omnibus audientibus, sponte sua tota vrbe sonuerunt. quo permoti Clerus & Magistratus solennem indixerunt supplicationem, ac templum à fundamentis nouum erexerunt in quod iam dicta miraculosa imago coleretur; erectâ simul in eiusdem honorem & beneficij memoriam Confraternitate, quæ etiamnum hodie anniuersariâ obseruatione festum & supplicationem publicam recolit.

Medunte itidem ad Sequanam fluuium, medio fere itinere inter Lutetiam & Rotomagium piorum hominum Societas est, quæ Caritas S. Sebastiani vocatur, qui effecerunt funera pestifero etiam morbo sublatorum intrepidi, habetque pro suo patrono S. Sebastianum martyrem, Gallicè, *Charité de S. Sebastien à Mante*. Miræus in Fast. Belg. 1. Decembris. Progressu deinde temporis institutæ sunt diuersæ huiusmodi Sodalitates seu Confraternitates
sub

sub tutela cuiusdam sancti quem iam sæpius fideles exper-
 ti erant in tribulatione, morbo aut simili quavis necessita-
 te opem suis clientibus tulisse, aut alio quouis iudicio auxi-
 liatricem suam manum porrexisse. Sic post annum 1089.
 quando corpus S. Antonij in Gallias translatum multis
 coruscauerat miraculis, potissimum in curandis ijs qui sa-
 cro igne tacti essent, instituta est in eius honorem ad eiu-
 dem opem implorandam sacra Sodalitas Antoniana, quæ
 etiamnum durat. Anno etiam 1280. cum Tornaci dira ad-
 modum lues desæuiret, Ciues probè conscij & memores
 se non semel intercessione S. Deiparæ à simili malo fuisse
 liberatos, procurantibus quibusdam eorum præcipuis, vna-
 nimi deuotione in Cathedrali Ecclesia erexerunt Confra-
 ternitatem in honorem prædictæ Genitricis Dei Mariæ
 & Crucis exaltatæ, obtenta à Clero theca sacris reliquijs
 referta, promissione addidit se quotannis eandem thecam
 pretioso & deaurato tegumento ornaturus, quodque eam
 dicto S. Crucis festo solenni in supplicatione per ciuitatem
 circumgestarent. quod & plurimis continuò annis ita factum
 est vsq; ad annum 1503. quo de consensu Capituli præscam
 suam consuetudinem immutarunt, & pro dictis tegumen-
 tis, argenteas statuas fabricari curarunt. quas hodie
 maximo in numero ibidem est videre. Erant autem in præ-
 dicta Lipsanotheca plurima instrumenta passionis Domi-
 nicæ & reliquiæ B. Virginis Mariæ, aliorumq; multorum
 Sanctorum quas longa serie enumerat Heribert. Rosveyd.
 ex Tabulis Eccles. Tornac. in sua historia Ecclesiast. Belg.
 ad prædictum annum 1280. Vocatur autem suprascripta con-
 fraternitas, Confraternitas domicellorum, Gallicè, *La con-
 frairie de Damoiseaux*, Flandricè, *Het broederschap van de
 Ionckers van Dornick*. de quibus plura vide apud Iean Cou-
 sin in hist. Tornac. lib. 3. cap. 29. Gallicè descripta. simili-
 ter post celebratum Concilium Basileense, in quo

sacri honores S. Rocho sunt decreti eiusque effigies, vt antè dixi, solenniter per Urbem Basileensem fuit circumlata, Confraternitas eidem Sancto dedicata, fuit instituta. idque eo fine vt qui se ei curarent inscribi, eiusdem Sancti meritis & intercessionibus à peste quam ille sæpiùs fugauit, & ab epidemia quam hinc iugiter in suo corpore pro diuini nominis gloria portauit, liberarentur aut præseruarentur. Et certè plurimos fuisse liberatos & præseruatos, patet ex continua & constanti tot sæculorum apud omnes fideles vsitata deuotione, qui sese præfatis Sodalitatibus curarunt inscribi: Statis diebus solennissima in eorundem Sanctorum honorem celebrantes diuina mysteria. quorum numerus non tantum in singulis ciuitatibus, sed & in plerisque pagis ferme est innumerus. Noluit à patrita maiorum suorum virtute & pietate degenerare Illustrissimus iuxta ac pijsimus Antistes Mechliniensis Iacobus Boonius qui pro ouibus sibi concreditus sollicitus Pastor anno hoc. 1625. Bruxellis in templo S. Catharinæ, die 24. Augusti celebrem illam & saluberrimam instituit Confraternitatem sub patrocinio & tutela trium nobilissimorum patronorum Tutelarium Iesus, Mariæ, Annæ: quatenus eorundem magnis meritis contra mortem subitanam adeoque contra pestem illius prodromam, præseruaremur. quæ fraternitas in tantum ipsa sui exordij primâ die excreuit augmentum, vt vltra quingentos tunc fuerint eidem adscripti; qui numerus iam ad millia millium excurrit spatio duorum tantummodo mensium. Et quàm convenientissimè sub patrocinio trium horum nominum Confraternitas hæc contra pestem mortemque subitanam instituta est. Serpense enim, Eua atque Adam peccati, mortis atque æternæ damnationis causa nobis extiterunt. in quorum locum res alias personas Deus sibi elegit per quas hominem

Statuta
 prædictæ
 Confrater-
 nitatis.

minem

minem iam perditum è peccato ac æterna damnatione eriperet, efficeretque ne deinceps mors corporis homini obesset, sed proficua & salutaris, scilicet, à miserix, & à lætitiæ. Hæ tres personæ, Iesus, Maria & Anna sunt, quarum defectu etiamnum hodie perditus esset homo miseræ morti & perpetuæ damnationi miserimè subiectus; cùm iam mors vtraque, prima nempe & secunda, non amplius ei despoticè dominantur, prout ante prædictarum personarum natiuitatem. Anna siquidem miraculoso partu produxit mundo Mariam; attestante Ecclesiâ, quæ canit: Cœleste beneficium introiuit in Annam, de qua nobis nata est mater Maria Virgo. Maria miraculorum vtpote mare maiori miraculo peperit Iesum, per quem à triplici illo malo liberati sumus. Anna stella fuit matutina quam Phosphorum, id est, lucem ferens, vocant. Maria, aurora consurgens siue aurea hora vel aura rotans. Iesus, sol oriens qui omnes tenebras caliginosæ huius noctis dispulit, fecitque lumen splendescere in mentibus nostris; lumen inquam gratiæ, ne amplius in tenebris peccati & vmbra mortis ambulemus æternæ.

Quidquid porro Iesus siue egit siue docuit siue pertulit, eò seruit vt doceat hominem benè viuere & salubriter mori. Hic cum matre sua Maria (pia deuotorum contemplatio est) agonizanti iam & per mortem è mundo emigranti S. Annæ adstitit fidelissimè, obiitque illa mortem in Domino beatam. neque Iesus Saluator noster mori voluit nisi lecto mortis suæ, Crucis scilicet, mater Maria adsisteret. sic & ipsa Maria è mundo decedere noluit nisi præsentem filio suo dulcissimo Iesu. Patet prorsus

Bbb 2. modo

modò infelicem nemo mortem obibit qui dum viueret
 piè & fideliter Iesu, Mariæ & Annæ seruiuit, eorumque ve-
 stigia pro humana fragilitate insectatus fuit, eosdemque in
 agone mortis suæ pia cum fiducia inuocare studuerit. Hic
 erit funiculus triplex quo anima fidelis Christiani indiu-
 sibiliter Christo connectetur, quem neque mundus, neque
 caro, neque dæmon ipse dirumpere poterit.

Huic verò Sodalitati seu Confraternitati nomen suum
 dare, contra pestem efficax planè remedium est, cui inscri-
 pti tot millium deuotarum personarum bonis operibus quo-
 tidie communicant, & earundem iustificationum fiunt
 participes.

Bruxella
 apud Hu-
 bertum
 Antonij
 prope pa-
 latium
 principis.

Adscriberem hîc leges & conditiones huius Confrater-
 nitatis quas eidem inscripti obseruare tenentur. Sed quo-
 niam publicis typis excusæ passim extant, superuacuo la-
 bori parco, ratus suffecisse ad eisdem typos Lectorem re-
 mittere, faciles interim sunt & vix in minimo etiam occu-
 patissimum per diem grauantes. & promerentur ipso in-
 scriptionis die quicumque nomina sua dederint, indulgen-
 tias dierum quadraginta. Quantum verò placeat Deo
 huiusmodi Sodalitatum erectio, & quam gratum ei sit sese
 illi curare inscribi, frequentibus miraculis & beneficijs sæ-
 piùs ostendere dignatus est, que tu collige è floribus exem-
 plorum cap. 2. tit. 4. de beneficijs Deiparæ Virginis
 Tom. 1. è quibus vnum illud instituto nostro deseruiens
 subiicio.

Adolescentes qui in Sodalitium B. Virginis erant ad-
 scripti in Collegio Dolano, belli pestilentiaque tempo-
 re dilapsi anno 1596. postquam rediere, narrauerunt se
 diuinam Sanctissimæ Matris tutelam suis quisque in peri-
 culis expertos esse, quibus planè periissent nisi præsen-
 tissimum eius auxilium præstò fuisset. & nunc eo maio-
 re studio ad sanctissimum eiusdem Virginis cultum pieta-
 temque

remque quam maximo adfectu retinendam excitantur, neque id verbo solum leuique significatione, sed toto vitæ genere atque in suscepta religione constantia sæpè declarant. ita habent litteræ annuæ anni 1596. Prouincia Lugdunensis. Miro autem modo fuerunt hæc dulcissima nomina. Iesus, Maria, viris sanctissimis in delitijs & spiritali gustu. S. Paulus in suis quatuordecim epistolis vñr-pauit dulcissimum Iesu nomen, 4029. id est, quater centies decies nonies. S. Iulianus ita in illud ardebat, vt vbi-cumque in libris idem legeret, lacrymis exundans panè extingueret. S. Franciscus in pauimento, in parietibus lingua etiam lambebat, quasi diceret cum S. Bernardo: Mel est in ore, iubilus in corde. Audito nomine, Mariæ, profundissime se in terram prosternebat S. Odilo Abbas Cluniacensis. Sic religiosi nostri Patres qui Marianas Litanias, de quibus supra egi, ante trecentos annos in hoc nostro Cœnobio Tüngerloënsi composuerunt, in tantum sanctissimo illi nomini fuerunt affecti, vt ad singulas petitiones seu lineas, septuagies & quater illud repetierint, miro semper animi ardore ingeminantes, S. Maria scala cœli, S. Maria porta paradisi, S. Maria mater Christi & sponsa, &c. ora pro nobis. quod in alijs Litanijs non ita inuenire est. Quibus etiam ex Litanijs non obscurum petitur argumentum iam à tot centenarijs annis Patres nostros in probabili illa maximè opinione fuisse quæ B. Virginem Mariam adstruit conceptam sine vlla macula originalis culpæ; nam præ reliquis eius mysterijs, hoc ibidem vocatur, Sancta Conceptio. estque in Ordine nostro asserta traditio maximè in Hispania, S. Deiparam B. P. Norberto candidum habitum præmonstrasse cœlitus, in argumentum immaculatæ suæ Conceptionis quam ab eius filijs prædicari & propugnari desiderabat, eoque sine Madriti in ciuitate regia in Monasterio

Pet. Damian. in
vita eius.

sterio S. Norberti erecta est Sodalitas immaculatæ Conceptionis. quamvis alij non improbabiler existiment datam ei candidam vestem vt virginitatem contra impurum eius hostem Tanchelinum propugnaret.

Polonia adeò dulcissimum hoc nomen in honore habuit, vt in toto illo regno ne vna femina vel puella eo nomine fuerit antiquitus insignita, præ reuerentia non audentes id vlli imponere, sicut legimus de nomine S. Petri Apostoli, quod ex eodem motiuo nullus Pontificum hætenus gerere ausus fuit, quin cùm post obitum Ioannis XIX. in eius locum subrogatus fuisset Episcopus Albanensis, Petri nomine tunc insignitus; ob reuerentiam Apostolici culminis nomen mutare placuit, & Sergium dici eius nominis quartum, fuitque is primus Pontificum qui nomen suum eo motiuo adductus mutauit; non verò vt vulgi fabula habet, quod, Os porci nominaretur, seu Bucca porci. volunt tamen alij id factum diu antè ab Octauiano, qui nominatus est Ioannes XII. de se ipso scribens: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.

Baron. an.
3009. &
844.

Insper pro felici morte obtinenda & mala auertenda non ita multos ante annos aliam quandam Confraternitatem instituerunt viri quidam Religiosi qui pio ac salutare consilio inter se conuenere, illisque deinde in Gallia, Italia, Hispania, Germania, & vtraque India pluraquam triginta hominum millia associari consensere vt pro se mutuo singulis diebus Litanias Lauretanæ cum suffragio ac collecta de eadem & simul de B. Ioseph sponso eius recitarent, atque ita diuinam opem & B. Virginis eiusque sponsi patrocinium ad facilius & felicius ex hac vita migrandum, multiplicatis suffragijs impetrarent. Porro quilibet huic Societati inseri ac eius fructus particeps fieri potest, dummodo hæc tria præster.

I. Prædictas

1. Prædictas Litanias cum antiphona & collecta de S. Ioseph singulis diebus recitet.

2. Eas recitet pro omnibus huic Societati adscriptis, quod & illi omnes vicissim pro eo faciunt.

3. Id faciat animo & intentione iam dicta, scilicet pro felici morte impetranda.

Sunt præterea alij Religiosi viri qui eodem fine, singulis diebus Sabbatinis Missam legunt de B. Virgine Maria, cui is dies sacer est, cum collecta de B. Iosepho & collecta de S. Barbara, quæ tamquam specialis patrona contra subitanam mortem, & vt sacra confessione expiati & salutari viatico muniti ex hac vita ad Deum emigremus, à pijs fidelibus ab antiquo solet inuocari. quòd non semel suis clientibus iam ferme desperatis, non barbara, sed miti pectore Virgo impetrauit.

Sodalitatem verò seu Confraternitatem Flagellantium, quæ contra pestem instituta olim fuit, extra numerum sacrarum Sodalitatum reijcimus. nam à Sede Apostolica tamquam erroribus perniciosis & hæresibus plena, iam dudum prædamnata est. Non intendo hæc damnare Sodalitatem flagellatorum à S. Antonio Paduano institutam, de qua sic in eiusdem vita legitur: Cœperunt tum primùm homines cateruatim sese verberando & pia cantica deuotè depromendo, procedere. atque ea laudabilis consuetudo à tanto authore profecta deinceps suis est aucta incrementis; ita vt in omnibus fere Italiae locis accuratissimè hodieque obseruetur. quæ latius Polydorus Vergilius explicans: Statis diebus, inquit, mutuâ caritate conueniunt, orant, Sacerdotes conducunt qui rem diuinam faciant. in supplicationibus publicis ordine procedunt, vt plurimùm saccis linoque ora coniecti, sese flagello conuerberant, nudum ac lacerum tergum ferientes velut verè poenitentes decet. vnde Niniuitas dictos volunt.

Sedul. cap.
13. vita
S. Ant.

De inuēt.
rerum l. 7.
cap. 6.

volunt quod eodem modo Deum placare studeant, atque
 Niniuitas olim monitis Prophetæ, pœnituisse constat.
 Hanc inquam Sodalitatem non damno, sed quæ postea
 exorta fuit hæreticorum, anno scilicet 1349. cum vniuer-
 salis illa eaque atrocissima pestis totum orbem depalce-
 anno 1349 tur. de qua ita Abraham Bzouius: Eius pestis precibus
 auerrendæ causa, ex Hungaria in Germaniam superiorem,
 & prouincias circumuicinas profecta est mala quædam &
 miseranda mortalium secta quæ flagellantium dicebatur.
 Crucibus rubris erant signati à fronte & à tergo. vagaban-
 tur per varias classes. bis se palàm de die, semel de nocte
 clàm nudos ad sanguinem vsque flagellabant. nemo ex il-
 lis mendicabat. nemo in confortium admittebatur omni-
 no inhops, nemo nisi peccata sua confessus, nisi de consen-
 su suæ vxoris, nisi iniuriam omnem inimicis remisisset. hos
 adeò sunt admirati initio Germani, vt certatim omnes vbi-
 que ad mensas suas inuitarent. Sed nusquam bis pransi
 sunt, aut morati vltra diem aut noctem vnã. Cœpit se illis
 iungere ex omni fere ordine & ætate magna hominum
 multitudo. In Flandria se illis sociabant sectæ quædam no-
 uæ quæ Lollardi, Collani & Beggardi vocabantur. Simul
 monachæ quædam quas Lutas ea appellabat ætas. Cœpe-
 runt & concionari apud populum. sed nec Sacerdotes, nec
 Euangelium, nec rem diuinam ipsumque corpus Domini
 reuerentur. soli suæ fidebant insanix: asserabant inter
 alia sua deliria si quis eam flagellationem per dies 33. con-
 tinuasset, omni crimine esse purgatum, omnem illi pœnam
 & culpam remissam finxisse, & quædam mendosa referun-
 tur miracula. his se quoque adiunxerunt in Flandria perditif-
 simi quique, vt exules, fugitiui, seditiosi, decoctores, adulte-
 ri & adulteræ, scortatores, scorta, & qui ære alieno nimis
 premebantur, fures, homicidæ & latrones. verbo dixerim,
 omne nebulonum genus. Adeò autem populum demen-
 tauerunt

tauerunt, vt magni quidam Episcopi & Clerici eos seque-
rentur. Cruces ligneas in manibus singuli, mares simul ac
feminae mixti, seminudi portabant; caput caputio & pileo,
pudenda verò membra lineo velamine tecti, flagellis tres
in acumine nodos & aculeos habentibus semetipfos pu-
blicè in Ecclesia & extra cruentabant: hymnum de passio-
ne Domini idiomate materno conceptū & carmina quæ-
dam Christianæ fidei vt plurimum vel contraria vel suspe-
cta, processionaliter incedentes cantabant, sæpius se in
formam Crucis prosternendo orantes: pœnitentiam sine
arbitrio Sacerdotis sibi ipsi imponebant: suam flagellatio-
nem putabant martyrio æquiparandam esse, imò & præfe-
rendam, quod sua sponte aiebant, suum ipsi sanguinem ef-
funderent: martyres verò non nisi vi externâ compellente:
neminem posse saluum vel verum Christianum esse asse-
rebant, nisi suo sanguine per verberum ictus baptizaretur.
Vetus illud Priscilianistarum frequenti sermone vsurpa-
bant:

Iura, periura, secretum prodere noli.

Plurima alia recenset ex diuersis authoribus Bzouius, qui
& addit: Hæc disciplinæ ratio, quòd priuata autoritate,
inconsulto Romano Pontifice inuenta, ac præterea multis
erroribus reuera esset, Clementi eius nominis VI. displicuit,
quam Apostolica autoritate compescuit, edita con-
stitutione num. 105. contra hæreticos flagellatos.

Cæterum vt puriore certioreque diuinitatis cultu ma-
iestatem supremam populo conciliaret Clemens Papa,
sacrum Iubileum à centesimo ad quinquagesimum annū
propter grauissimas causas contractum, in annum subse-
quentem 1350. ad Calendas Ianuarias indixit; ita bonis &
pijs ad limina Apostolorum peregrinantium operibus læ-
uissimè tunc temporis grassantem pestilentiam auerrere
conatus: qua peste, vt scribit Bocacius, in sola vrbe Florētīę,

centum millia hominum interierunt. Lubecæ, nonaginta millia. Cæsar-augustæ in Hispania, teste Mariana, solo mense Octobri quotidie funera trecenta visa fuerunt. In Galliis, Alemannia, Scotia, Hungaria, vix tertiam partem viuentium reliquit, nec non quasi omnia regna mundi cõtaminauit, glandibus sub axillis vel in inguinibus promiscuè nascentibus. Auinione tribus primis diebus mille quadringentos homines absumpsit. Certè sunt maximè stupenda & vix ante audita quæ de contagione ista scribunt Historici. Morabatur tunc temporis Clemens Pontifex Auinione, qui & admiranda pietatis Christianæ opera tum ibidem exercuit, erga eos potissimum qui tabe illa infecti erant, quos foueri sumptibus suis, ac ne insepulti iacerent, piè à seruis publicis proposita iustissima mercede sepeliri curauit in agro quem ipse emerat, vbi templum Sacræ Virginis construi iussit, annuisque redditibus dotauit, vt beneficij illius memoria ad posteros quoque peruenire posset. Indulgentias quoque ijs qui ad sonum campanæ pro laborantibus in extremis Deo preces offerrent, aut Sacrificijs eos iuarent, plures concessi.

Quod verò ad Iubilei contractionem, de qua supra, sciendum est apud Christianos, annum Iubileum primò instituisse Bonifacium Papam VIII. anno Christi 1295. celebrandum anno 1300. eumque centesimo quoque anno renouari iussit, atque illis qui Romam venirent, viferentque sepulchra sanctorum Petri & Pauli, peccatorum omnium plenariam indulgentiam concessit, idque vt populum Rom. ab inani sæcularium ludorum celebratione, ad verum solenne sacrum reduceret.

Quinquagesimo post instante anno, Clemens VI. (de quo iam egimus) sanxit Iubileum celebrari quinquagesimo quoque anno, eo quod ætas hominis vix Iubileum illum centesimo anno attingere posset; qui verus fuit Iubileus: nam vt legitur 25. Leuitici: Sanctificabisque annum quin-

Vide Bzou
& Mudzar
an. 1347.
& 1349.

quagesimum & vocabis remissionē cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse est enim iubileus. Iubileum ergo tale primū fuit anno. 1350. quo anno tanta hominum copia fuit Romæ, teste Petrarca oculato teste, vt nihil mirum fuerit inde ortam esse pestem adeò grauem in tota Italia, vt ex mille vix decem superessent, teste Crantzio lib. 9. Metrop. ca. 43. Rursum sub Nicolao V. in iubileo anno Christi 1450. tanta hominum turba fuit Romæ, vt in ea multi suffocati perierint, teste Platina & Sabell. l. 5. Dec. 10. Deniq; Sixtus IV. iubileum ad 25. quemq; annum reduxit, primūq; eum celebravit anno 1475. id fecit vt quælibet ætas eius muneris particeps fieret. Porrò in iubileo Pontifex auream portam aperit, ad quam immensa multitudo cōcurrit, consequendæ peccatorum remissionis causa. preces, eleëmofynæ, pœnitentiæ aliq; pietatis exercitia quæ eo anno tum Romæ, tum alibi fiunt, maxima sunt & austeram admodum, vt bono consilio Clemens Papa vsus fuerit, etiam sola ea de causa ad auertendam pestem iubileum ad instantem annum quinquagesimum contrahere. Hæc occasione præsentis anni iubilei latius deduxi. qui vt nobis, annus sit remissionis & placationis à facie furoris Domini, faxit ille qui facere potest omnia.

Audi vouentem, ô! Optime, Maxime.

Cesset flagellis dextra rubentibus.

Iam Belgicus sat arsit orbis

Pestifera populante flamma.

Satisq; Belli heu! arsit in ignibus

Hæc Belgica, ô trux Belgica! tot malis

Ditata cladium ceterarum,

Tot proprijs celebrata bustis.

Restingue flammam, ô Deus! o Pater!

Bellig. pestisq; & mis ris modum

Tandem ruinis pone clemens,

Et facie meliore fulge.

Et redde Pacem, redde vocantibus
Antiqua Belgis Oïa, fœdera
A Eterna redde: sat parentum
Crimina posteritas pœnit.
Exulcerat e vulnera Belgica
Tegat cicatrix, nullaq; Gratiam
Diffundat ira, nulla clausum
Lis valeat referare Ianum.
Sic fœderatis mentibus, hunc sacrum
Agemus annum: & simul illius
Fructus metemus. & quando? ô nunc!
Vnanimes veteresq; Belgæ.

Hoc enim verè sanctum & pulcherrimum iubilei festum
 est, Euangelica clangente buccina celebrandum, ita ut re-
 uertatur homo ad possessionem & familiam suam, cum
 offensam in nos remittimus, ut omni discordia soluta, cun-
 cti redeant ad pristinam familiam pacis & concordia, at-
 que habeant cor vnum & animam vnam, canantque: Ecce
 quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.
 Ita Kupertus Abbas Tuitiensis.

Hoc da, Sacrorum Maxime Cœlitum,
Mundiq; pates, ô Deus! ô tua
Tutela Belgica fidelis,
Anchoraq; auxilij q; pignus!

 C A P. LXXVIII.

Diligens sui ipsius ad mortem præparatio, contra pestem
saluberrimum remedium est.

Vulgò dicitur, & vulgò verum est: *Sicut vixit, sic moritur*
Nam benè qui vixit, mortuus ille benè est.

Ergo